

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5057

Auteur(s) : Thibaud, Paris (évêque)

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1154, 4 septembre

Lieu d'émission : Saint-Denis

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Les évêques Thibaud de Paris et Baudoin de Noyon règlent, par ordre du pape Anastase [IV] et sur le conseil des légats de cardinal Odon, le différend survenu entre l'abbaye de Savigny et l'évêque Philippe et le doyen Guillaume de Bauveux sur les dîmes et les bénéfices ecclésiastiques de Thaon.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 79, p. 163-165.

Texte établi d'après a

Teobaldus Dei gratia Parisiensis et Balduinus eadem gratia Nouiomensis episcopi. Dilectis fratribus in Sauignensi monasterio in Christo constitutis tam presentibus quam futuris. Quoniam ea, que magno labore ad effectum deducta sunt et multa diligentia debito fine consummantur, maxime ecclesiarum negocia aut obliuione solent aboliri aut malitia perueriti, dignum duximus et commodum posteris uestris iudicauimus, ut negocium de decimis terre uestre de Thaun et ecclesiasticis beneficiis, qualiter auctoritate apostolica a nobis canonice iudiciali sententia decisum est, sub testimonio inserte page ad protectionem ecclesie et quietem fratrum perpetuam ad integrum explicetur, maxime uero quia in sancto mandato simul cum sententia confirmationis preceptum accepimus. Ex mandato igitur domini pape Anastasii causam, que uersabatur inter Philippum Baiocensem episcopum et Guillelmum eiusdem ecclesie decanum et inter abbatem Sauignensem audiendam remotaque appellatione terminandam suscepimus. Cumque dies oportunus et locus congruus fuissest partibus constitutus, abbas die statuto ad causam paratus astitit, decanus uero se ibidem nostro conspectui presentauit. Et cum debuissest causam ingredi, noluit stare iudicio, sed ante omnem impetacionem absque emergenti grauamine ad octabas sancti Martini sedem apostolicam appellauit. Et cum in ipsum tanquam in transgressorem sancti mandati, cum exclusa fuissest appellatio, absque retractatione ferre sententiam possemus, tamen, quia causa communis erat ei cum episcopo, in secundam uocationem differe consilium fuit, ne in hac festinatione pati preiudicium episcopus uideretur. Episcopus nanque nequaquam presens adfuit, sed per responsales suos absentiam suam nimis tenuiter excusauit et, quanquam possemus in absentantem absque canonica excusatione de iure ferre sententiam, tamen ex mansuetudine apostolica, cuius uicem gerebamus, formam accipientes patientie propter pontificalem etiam reuerentiam in secundam uocationem distulimus et sub edicto peremptorio tum propter paupertatem, tum propter laborem monachorum iterato diem et locum assignauimus oportunum, sed nec in secundam uocationem

episcopus suam presentiam exhibuit, sed per responsales interpositos cum litteris signatis cause renuntiauit et item sine ingressu cause absque emergenti grauamine sedem apostolicam appellauit. Nos uero huic appellationi non interfuimus, quia infirmitate grauabamur, sed presens fuit abbas Sauigniensis et in loco nostro persone idoneæ, que litteras suscepert episcopi et renuntiationi testimonium perhibent et appellationi. Nos uero super hoc negotio consulentes Odonem legatum sedis apostolice, qui tunc per Dei gratiam ecclesiam Gallicanam uisitabat, et ex tenore litterarum domini pape radicem uerbi attendentes tam ex consilio domini legati quam ex forma prescripti nobis iudicii, cum falce apostolica precisa fuisse appellatio, probationem ipsius abbatis de decimis terre sue de Thaun et de ecclesiasticis beneficiis per tres idoneos testes suscepimus et ab omni impetione huius querele eum absoluentes tam de decimis quam ecclesiasticis beneficiis uice et auctoritate apostolica inuestiuimus et ecclesie uestre iure perpetuo possidenda confirmamus. Homines uero pro hac querela excommunicatos nichilominus auctoritate apostolica absoluimus et, ut hoc delegationis nostre testamentum ratum apud posteros et inconuolum permaneat, presentis scripti pagina negotium, prout gestum est, annotare, testibus roborare ac demum sigillorum nostrorum auctoritate ad perpetuum memoriale confirmare uoluimus. Huic siquidem nostre executioni interfuerunt Odo abbas sancti Dionisii, magister Bernardus archidiaconus Parisiensis, magister Petrus Longobardus, magister Galterus canonicus, magister Manerius, Hugo cancellarius Nouiomensis, magister Remigius, magister Guillelmus prior sancte Marie de Gorneio, Arnesius canonicus sancti Victoris, Ioscelinus capellanus episcopi Parisiensis, Ranerius, Hugo capellani episcopi Nouiomensis.

Actum apud sanctum Dionisium anno uerbi incarnati M^o.C^o.LIIII^o, domino Odono diacono cardinali in Gallia legationem agente et apud sanctum Dionisium tunc commorante, gloriosi regis Ludouici anno regni XVIII^o, IIe nonas septembbris.

† Ego Teodbaldus episcopus Parisiensis subscrispi.

† Ego Balduinus episcopus Nouiomensis subscrispi.